COENOBIARCHÆ, &c. S. P. CLAVDIVS SEGVYN, Cliens humillimus.

NVNQVAM ad tuæ dignitatis tholum ausus fuissem accedere, (Cardinalis Illustrissime) nisi me sagax & prouida cuiusdam auis solertia ad id efficiendum incitasset, quæ cæcutientes & malè conformatos pullos micantibus solis radijs exponit, vt benigni luminis appulsu eorum acies perficiatur & luci sustinendæ paulatim assuescat. Itaque cùm ingenij mei rudes ac præproperos fœtus excludere, atque in conspectu Doctissimorum virorũ dare mihi proposuissem ad tuæ purpuræ splendorem confugi, cuius accessu & aspectu quidquid inconcinni aut impoliti subesset, leporem quendam ac venustatem hauriret. At quo nomine quoue consilio dignitatis tuæ insignia & nobilissimæ prosapiæ stẽmata huicce tabellæ præfigere audeã? eo scilicet quo Athletæ olim dimicaturi vt sibi secundis auibus præliorũ exitus cederet, tutelaris alicuius Genij salutarem dexteram implorabant: Quamobrem cùm in arenã essem descensurus quamprimùm tuo nomini & omini pugnam istam vmbratilem atque literariam commisi, vt armis tuis tanquam Aiacis clypeo tectus, palestræ discrimen fœlicius aggrederer: si aspiraris omnia tuta & tua sunt; tuis iãdudum aris nostrum nomen, imò fortunas & vitam consecrauimus, cúmque ijsdem sub auspicijs parentes mei & cognomines non ita pridem meruerint, ac tam gloriosè ex eiusmodi certaminibus te duce emerserint, si instar propitij numinis accesseris, si conatus meos grato animo acceperis, nunquam eos irritos fore confidam & abundè mihi satisfactum existimabo, si hoc exiguo perpetui obsequij monumento beneuolentiæ nonnihil & gratiæ fuerim apud te consecutus. Vale.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS II. MENSIS IANVARII,

MAGISTRO PHILIPPO HARDVINO de S. Iacques DOCTORE MEDICO MODERATORE.

661.

Suntne distinctæ facultates in viuentibus?

TΩN ONTΩN alia in subiecto sunt, alia minimè: illorum sola cum quantitate qualitas reapse existit, ad quam pertinet actio; cuius generis non magis est sanitas, pulchritudo, quàm temperamentum & morbus: horum sine illis nulla est actio, sine quibus tamen actio nulla fit, nulla mutatio, quamuis rarò καταμονομαχῶσι, sed inferiora à superioribus auxilium mutuantur, hæc ab intelligentijs, omnia à Deo πρωτοδράστηρι, qui solus παντοκράτωρ καὶ πανεχὴς nec his nec illis indiget. Vnde nihil in vniuerso simplex, nihil vnum: οὐσιώδης forma per qualitatum actiones, materia prima per secundam dignoscitur, quæ connubio iunctæ stabili corpora constituunt, suisque dotibus ornant: materia; quantitate, figura & qualitatibus secundis: forma, cœlorum quidem; luce, motu: elementorum; qualitatibus primis: mixtorum; suis facultatibus.

ACCIDENTIA viuenti insunt, vel ratione materiæ, vel formæ, vel vtriusque simul: materiæ iam enumerata ab ea separari posse existimãdum est, quæ licet actionem edere nequeant, eam tamen lædere possunt. Hinc morbi numeri, figuræ, magnitudinis, asperitatis & leuitatis, proindeque materiæ morbi haud reijciendi. Formæ solius, animæ rationali competunt intellectus & voluntas quæ τῷ ὄντι ab ea distinctæ facultates cùm morbo non afficiantur, fictitios totius substantiæ morbos non admitto: ab vtraque verò dependent cæteræ facultates, quarum subiectum si formam vel materiam ais, nego: si τὸ σύνολον negas, aio.

QVÆ quidem omnia qui accidentis οὐσίαν nouerit à subiecto τῷ ἔργῳ facilè distinguet, cùm à forma vna maximéque simplici, qualis est anima, nõ possint genere diuersæ functiones proximè dimanare, vt sunt vegetantes, sentientes & rationales, quæ ab anima varijs facultatibus instructa prodeunt: Etenim facultas causa est à qua procedit actio, non temperies, non corpus, non sanitas: pro illius igitur varietate variæ sunt facultates. Ideo inter naturales nutrix & auctrix non distinguntur, procreatrix contra: inter ministras concoctrix & expultrix, attractrix & retentrix nusquam: à quibus non dissident secernens, distribuens, agglutinans & appetens.

VITALIS sub vegetante meritò continetur, vitalis enim & naturalis perfectione tantùm differunt, hæc sanguinis & spirituũ ex sanguine genitorum est author. Illa in corde potissimũ viget à quo in alias partes non influit, cui subseruiũt σφυγμικὴ cordi & arterijs insita & ἀναπνευστικὴ, cui τὸ ψυχικὸν τῷ φυσικῷ coniunctum est. Sentiens quinque sensus externos complectitur, tactum terreum animalibus summè necessariũ, gustum aqueum, olfactum ἀτμοειδῆ, auditum aëreum & visum igneum, quorum omnium dolor est, non sensu nec eiusdem actione definiendus. Internum, phantasiam (quæ cum sensu cõmuni & memoria vnum & idem est) appetitus sociam, cuius θυμοειδὴς in corde, concupiscibilis in hepate residet, qui potentiã loco motiuam excitant & impellunt. Intelligens denique vnicum cõprehendit intellectum & voluntatem: apage γελαστικὴν & διαλεκτικὴν facultates ab alijs non dissidentes.

ENIMVERO illa quorum alterum sine altero existere potest ex rei natura diuersa sunt. Facultas φυτικὴ in plantis sola reperitur, generatrice carent mulæ: attractrice eáque officiali pollent venæ mesaraicæ, cor coctrice, intestina expultrice. Sentiens in brutis est absque rationali, huius tactus solus insectis inest, in talpa sensus omnes præter visum. Quibusdam κώφωσις & ἀοσφρησία natiua est. Horum multa non mouentur, plurima non respirant, nulla intelligunt. Aliquando sola læditur phantasia, aliquando intellectus in consensum trahitur. Per somnũ vtraque libera est, sensus omnes quasi vinculo circumsepti, & morbis diuerso tempore facultatum etiam eidem parti inhærentium gestiones impediri certum est.

Ergo sunt distinctæ facultates in viuentibus. 108



Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS SEGVYN Parisinus, Anno R. S. H. M. D. CXXV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. LAZARVS PENA.
M. IACOBVS COVSINOT. P.R.
M. PETRVS DE BEAVRAINS.
M. IOANNES TEXIER.
M. ROBERTVS TVLLOVE.
M. ANTONIVS LE RAT.
M. IOANNES MAVNOIR.
M. CLAVDIVS GERVAIS.
M. PHILIPP. HARDVIN de S. Iacques. M.R.&A.M.